Ordinis Sancti Augustini Portugallien. nullitatis Congregationis Intermediæ.

1 **Eme, & Rme Dne.** IN Sacra Congregatione habita die 31. Augusti, dilata resolutione præsentis Causæ *Ad aliam*, prætendente P. Procuratore Generali Ordinis audiri super juribus etiam Reuerendissimi P. Prioris Generalis; iterum hodiè supplicamus responderi = *Prò nullitate Congregationis Intermediæ celebratæ de mense Nouembris* 1707. sub assistentia Eminentissimi D. mei Nuncij in Lusitania ex Decreto Sac. huius Congregationis 12. Augusti 1707., in quo fuit demandata eius assistentia, & *Prò celebratione nouæ Congregationis*, non obstante oppositione superaddita P. Procuratoris Generalis nomine Religionis, seù Officij, & Dignitatis Generalitiæ.

2 Iura siquidem Generalitia, vt supponimus, consistentia in deuolutione iuris Iubilandi, & postulandi Lectores ad magisteria, & Præsentaturas, aliaque peragendi spectantia ad Congregationem Intermediam, nequaquam locum habent in præsentiarum, vt mox ostendemus, & ex alia parte de nullitate, & immatura conclusione Congregationis Intermediæ cum præiudicio maioris partis Vocalium apertissimè constat, tum ex motiuis deductis in elapsa, tum ex meliùs enucleandis in præsenti.

3 Et profectò quantum ad deuolutionem iuris iubilandi, & postulandi Lectores, aliorumque iurium, & actorum Congregationis Intermediæ, ad Reuerendissimum P. Generalem Priorem totius Ordinis Eremitici Augustinianorum, quæ ex Constitutionibus allegabilibus Religionis posset prætendi (quam si tempus suppeteret de reliquo exoptaremus confisi in summa æqualitate d. Reuerendissimi P. Prioris Generalis) credimus non intrare in nostro Casu.

4 Non enim agitur hìc de Capitulo, vel Congregatione Intermedia non celebrata intrà legitimum tempus, vel nullatenùs celebrata, vel peccante in forma, & contrà Constitutiones ex culpa omnium vocalium eam componentium, in quibus tribus casibus, & singulis eorumdem respectiuè aperitur via deuolutioni, vt *ex cap. nè prò defectu de Elect., capit. licèt de supplen. neglig. Prælatorum, cap.2. de concess. Præben.*, tradunt *Panormitan.*, *Castellin.*, *Barbos.*, *& alij congesti per Passerin. de Elect. cap.31. quæst.3. nu.14., 15., & seqq., & per totam quæst.*

5 Sed versamur in casu, quo Congregatio fuit celebrata, & non solùm minor pars insistens prò obseruantia Constitutionum, quæ

suffi-

sufficeret *iuxtà laudatum Passerin. cit. num.* 15., quinimò maior pars Vocalium conflata ex quinque Patribus non concurrit, & fuit impedita votare, vt dicebamus in antecedenti Informatione; & meliùs elucidabimus in præsenti. Tali enim in Themate deuolutio neutiquam quadrat, quià induceret priuationem iuris maioris partis Capituli, quæ in nihilo peccauit, sed fuit spreta, & suffragare, vel nolens cum iusto motiuo, vel impedita: vndè constito de nullitate Congregationis, ad conseruandum eorum ius debet demandari noua celebratio.

6 Et sanè ad cognoscendam nullitatem Congregationis Intermediæ, præcæteris allegatis motiuis in elapsa ex gratia reassumen., sat est insistere in eo, quod acta eiusdem expleta, & consummata fuerunt à minori parte vocalium, nempè quatuor ex nouem Patribus, illam componentibus, semper, & in omni actu spretis, & impeditis votare, vel votantibus in contrarium quinquè PP. constituentibus maiorem partem, in quibus terminis nullus actus dici valet Canonicus, legittimus, & Collegialis, sed positiuè insubsistens totum id, quod in ea gestum legitur, vt vltrà citatos *in reassumenda* §.14. *notat Sigismund. à Bonon.*, *Samuel de Elect.*, *quos citat*, *& sequitur Passerin. de Elect. cap.* 11. *quæst.*112. *numero* 110.

7 Hoc posito, & admisso per EE. PP., in antecedenti Informatione difficultas vnicè restringebatur ad probationem modi celebrationis Capituli, super quo supplicamus reflecti, quod probatio concludentissima, & maior, quæ haberi possit in mundo, videlicet confessionum Partis,& Instrumento actorum,resultat ex ipsomet tenore actorum, quæ exaduerso fuerunt transmissa ad Reuerendissimum P. Generalem Ordinis prò confirmatione consistentia *in iubilationibus Lectorum*, *eorumque postulationibus ad magisteria*, *& mutationibus*, *ac destinationibus respectiuè quinque Superiorum*, *Summario reassumen. Num.*7., ibi etenim apparent subscriptiones quatuor dumtaxat PP. Vocalium.

8 Quod autem defectus subscriptionis aliorum quinque PP. proueniat ex eo, quod inclinarunt in partem negatiuam, seù fuerunt impediti votare, vt nos substinemus, vel potiùs quod concurrerint, & posteà eosdem pænituerit, aut renuerint sinè motiuo legitimo, vt Pars aduersa prætendit, facile est dignoscere ex serie rei gestæ hinc indè enarrata in protestationibus, & appellationibus datis *Summario nostro reassumen. Numero* 3., & Partis *Numero* 4.

9 Respectu siquidem iubilationum, quæ secum ferunt postulationes, & sunt præcipua materia Congregationis Intermediæ, & grauius in Religione punctum sistendo in Confessione Partis *dicto eius Summario reassumen. Num.*4., consequimur à *primò litt.E.*, quod in prima Sessione Congregationis habita die 9. Nouembris 1707. pro-

propositæ iubilationes per vota Vocalium, fuerunt remissæ ad examen Magistrorum super requisitis Constitutionum. Item *ex littera L.*, quod in secunda sessione tenta die 12. dicti iterum propositis iubilationibus, mandauit Eminentissimus D. Nuncius considerari, & resolui; Item *ex litt. N.*, quod in tertia Sessione habita die 16. dicti præcipiente Eminentissimo D. Nuncio, vt legerentur acta, respondit P. Præsidens, appellantes noluisse subscribere iubilationes, quod vnicè deficiebat, & *litt. O.* insistente dicto Eminentissimo, vt coram eo resoluerentur, respondit P. Tauora, non esse locum, quià adhuc non erat terminata Congregatio, *ac litt. Q.* iterum insistente eodem Eminentissimo prò resolutione, respondisse Procuratorem Saa, quod circà iubilationes erat procedendum per vota, super quo annuente Eminentissimo *litt. R.*, dictum fuit procedendum per vota secreta.

10 Post tot, tantasque diligentias, & controuersias super approbatione iubilationum erutas ex confessione Partium, videant quæsò EE. PP. quantum fidei mereatur id, quod sequitur narrare Pars aduersa *dicto Num.*4. eius Summarij *littera S.* ibi = *Se la verità è, che ordinando V. E., che douesse vscire la Communità fuori, e restando con li noue Padri della Congregatione, se hanno votato li medemi noue Padri in voce, & hanno dati per Giubilati li detti Lettori* = seù potiùs concordando Textus, & Partium Confessiones veniat concludendum ex sola verisimilitudine rei gestæ, quod iubilationes expletæ fuerunt tumultuario modo, elatis vocibus ab Aduersarijs, & coadiuuantibus Ministris Nunciaturæ, impeditis, ac suffocatis suffragijs Principalium intèr elatiores voces Aduersariorum, vt testantur quinquè PP. nostri Principales in eorum appellatione *Summario nostro reassumen. Numero* 3. *litt. S.*

11 Hoc solùm sufficeret; Verùm non deest legale motiuum, proptèr quod deferendum venit dicto nostrorum Principalium, quià de gestis in Congregatione, & aula Capitulari (cum nihil super hoc puncto iubilationum legatur in folio annexo relationi Eminentissimi D. Nuncij dato in *Summario nostro Numero* 8., *& Partis Numero* 3.) veritas aliundè haberi nequit, quàm ex depositionibus eorumdem Vocalium, talique casu in concursu depositionum hinc indè datarum profectò præualet depositio Principalium constituentium maiorem partem ex allegatis in nostra elapsa Informatione reassumen. §. 7., quibus addi potest *Cardinal de Luc. de Iudic. disc.* 32. *Numero* 46., *& de Testam. disc.* 14. *Numero* 4., eo præsertim quià ex præuisis Depositio maioris partis coadiuuatur ex verisimilitudine actus gesti confrontatis Partium dictis.

12 Quantum itaque ad iubilationes, & postulationes Lectorum ad magisteria, & gradus, nemò non videt, scatere insanabilem nulli-

tatem tumultuariæ approbationis à minore parte Vocalium expletæ, propter quam Sacri Canones annullant electiones quascumque hoc modo celebratas, sicut & quoscumque actus collegialitèr, & capitularitèr explendos per vota, ad notata per *Passerin. de elect. cap. 1. quæst. 4. à num. 56.*, vbi loquitur de Electione per inspirationem sublata per Sac. Concil. Tridentin. in Electionibus Regularium, & meliùs *Fagnan. in repetit. ad cap. licèt de euitanda de Elect. num. 50.*, vbi quod tali casu dicitur ad instigationem, & non ad inspirationem.

13 Vndè cum incontrouertibile sit, quod iubilationes, & postulationes, de quibus agitur, sunt approbandæ collegialitèr, & per vota secreta, tum ex natura actus capitularis, tum ex præscripto Eminentissimi Domini Nuncij, qui protestantibus PP. Appellantibus, vt in dd. iubilationibus procederetur per vota secreta, *dicto Summario Partis reassumen. Num. 4. litt. RR.* declarauit, & mandauit *dicta litt. R. = Votassero, come gli fosse parso =* Tum & tertiò ex stylo, & obseruantia inconcussa in Religione approbandi iubilationes, & postulationes per vota secreta, de qua testatur Reuerendissimus P. meus Prior Generalis prò voto requisitus ab hac Sac. Congregatione in sua noua relatione, quæ datur in calce huius *Summ. Num. vnico*, ex gratia perlegenda.

14 Quæ quidem obseruantia, & consuetudo sola de per se cæteris præcisis in hoc genere venit obseruanda, etiamsi de iure disponeretur contrarium, vt in terminis proximis formæ rigorosæ Canonum seruandæ in Electionibus Superiorum Regularium, quod debeat seruari etiam in Electione, & nominatione, seù postulatione aliorum Officialium, si ità exigit Consuetudo, docet *Sigismund. à Bonon. de Elect. dub. 6. num. 5.*, quem alijs congestis citat, & sequitur *Passerin. cap. 9. q. 8. n. 59.*

15 Idque eo magis seruandum erat summo cum rigore in dictis iubilationibus, quià cum sit materia grauissima schalam præbens ad postulationem ad gradus etiam magisterij, approbatio venit consummanda ea maiori animaduersione, & cauthela possibili, nè detur aditus fraudibus inhabilium, & præiudicijs habilium.

16 Præmissa, & ostensa circà iubilationes, & postulationes æquè vrgent circà actus trium mutationum Superiorum, quæ subsequuntur in codice actorum transmisso ad P. Reuerendissimum Generalem, & dato in nostro *Summario reassumen. Num. 7.*, nam de illis nec verbum habetur in folio relationis Eminentissimi Domini Nuncij, *dicto Summario Num. 8.*, nec iota vllum in Interrogatorijs PP. Aduersariorum; Vndè standum est dicto PP. Appellantium numero plurium, qui *dicto Summario nostro Num. 2. litt. R.* iuramento testantur, mutationes Conuentuum non fuisse permissas in Congregatione Intermedia, ad quam pertinebant, sed remissas

sas

ſas extitiſſe ad Definitorium priuatum, & tamen in actis tres leguntur regiſtratæ.

17 Concludendum propterea venit argumento dilemmatis, quod in actis tranſmiſſis noſtri Principales, vel nullatenùs potuerunt votare, ſed ſola minor pars turmatim omnia geſſit, vel ſi votarunt, eorum votum negatiuum erat, & non fuit deſcriptum; quin vllatenùs proſit dicere, quod valentes noluerint votare; nam manifeſtum eſt, quod ſi potuiſſent ſuffragare, vtique non omiſiſſent, quià erant in maiori parte, & votando præualuiſſent ſuprà minorem, vt ad ſenſum patet, & dicit regula iuris, quod nemò præſumitur negligere ius ſuum, ſi eo poteſt vti cum fructu.

18 Et hoc confirmatur, percurrendo folium relationis Eminentiſſimi Domini Nuncij, in quo narrantur quatuor difficultates ſubortæ in prima, & ſecunda ſeſſione, conſiſtens prima in admiſſione renunciationis P. Ioſephi à S. Thoma, ſecunda in applicatione pecuniarum Conuentui Leyrien., tertia in admiſſione renunciationis P. Procuratoris Prouinciæ, & quarta in prouiſione Cathedrarum ad inſtantiam Scholarium, & ſuper hiſce omnibus narrat ingenuè Extenſor dicti folij, quod concurrebant PP. appellantes in votum affirmatiuum, ſed quod Eminentiſſimus Dominus Nuncius aſſiſtens, ſeù eius Auditor adhæſerunt ſenſui negatiuo minoris Partis; Exindeque creſcit, vt dicebamus, dilemma, quod ſicuti in iſtis actis, quæ non leguntur regiſtrata in Codice tranſmiſſo ad P. Generalem, ità in alijs omnibus vel fuerunt Appellantes impediti votare, vel eorum votum negatiuum non fuit attentum ad actus conſummationem, & regiſtrationem.

19 Hinc etiam videtur remoueri in facto prætenſio Partis, quod noſtri Principales Appellantes fuerint conformes in pluribus actis Capitularibus, & poſteà illa noluerint ſubſcribere, nam in facto acta non habemus alia ſubſcripta à quatuor PP., quàm iubilationes, & mutationes, vt ſuprà, ad ſatietatem impugnata; alia acta non ſubſcripta, & non regiſtrata, de quibus meminit D. Extenſor in folio relationis Eminentiſſimi Domini mei Nuncij, & in quibus præualuit ſenſus PP. Appellantium non fuerunt data prò concluſis; Vltrà hæc acta nullum aliud actum reſtat, aut ſpecificatur, nec in relatione, nec in Inſtrumento actorum, ſuper quo cadere poſſit prætenſa vniformitas conſenſus Principalium: Ideoque non ſubſiſtit d. prætenſio Partis.

20 Potiùs ex omnibus concludendum credimus, quod tàm ratione eorum, quæ nullitèr geſta ſunt in Congregatione, ſpreta maiori parte, quàm ratione omiſſorum, ſuper quibus nos remittimus ad deducta in elapſa hìc non repetenda ad euitandam prolixitatem; Venit demandanda celebratio nouæ Congregationis Intermediæ

antè

antè Capitulum Prouinciale cum assistentia Eminentissimi Domini Nuncij, qui dignetur tueri libertatem Vocalium, proùt responderi enixè exoramus.

Quare &c.

Sigismundus Driolus.

SUMMARIUM

Num. vnico.

Preces super modo faciendi Iubilationes, & postulationes remissæ à Rm̄um P. Priorem Generalē Ordinis pro Informatione, & Voto.

Em̄e, & Rm̄e Dñe. Dilata resolutione Causæ Portugallien. Augustinianorum super Congregatione Intermedia. Ad aliam proximam Congregationem, & consistente præcipua materia in iubilationibus, & postulationibus Lectorum ad gradus Præsentaturæ, & magisterij, quæ sunt secutæ non solum cum minore parte suffragiorum, sed etiam tumultuariè, vt ex Iuribus iam datis adhoc, vt Eminentissimi Patres certius norint quanta ponderatione actus promissi geri debeat, quantaque maturitate resolui per vota secreta ad instar cuiusuis canonicæ Electionis tamquam actus Collegiales, & Capitulares; Supplicat propterea EE.VV. maior pars vocalium dictæ Congregationis Intermediæ, quatenùs dignentur super vsu, stylo, & obseruantia semper practicatis in ordine quoad huiusmodi acta, & quod fieri nequaquam valeant, nisi in Capitulis Generalibus, seù Prouincialibus, seù Congregationibus Intermedijs audire votum, & sensum Reuerendissimi P. Prioris Generalis Ordinis, remittendum ad Eminentissimum Gabriellium Causæ Ponentem, & pro gratia &c.

P. Priori Generalis Ordinis pro Informatione, & Voto.

Sigismundus Driolus.

Votum P. Prioris Generalis.

Em̄e, & Rm̄e Dñe. IN omnibus, & singulis Ordinis Eremitarum S. Augustini Magisteria, & Præsentaturas admittentibus Iubilatorum Declarationes, eorumdemque ad magisteria, & præsentaturas Postulationes à pleno fiunt Definitorio, siuè in Capitulis Prouincialibus, siuè in Congregationibus Intermedijs; Hanc eamdem Consuetudinem

in

in Prouincia quoque Lusitaniæ vigere ex eiusdem Prouinciæ actis Capitularibus, & intermedijs edoceor. Verum nihilominùs est aliquando in Capitulo priuato, cui constituendo Prouincialis, & duo Defensores sufficiunt testimonia dari, quod aliquis 12. annos Lecturæ expleuerit adhoc, vt Generalis si velit possit eidem Magisterium, seù Præsentaturam conferre independentèr à Postulatione Prouinciæ: Nunquam tamen quod sciam à Capitulo priuato Iubilatorum declarationes fiunt, aut eorumdem ad gradus postulationes, vtque id muneris nullo modo Capitulo Priuato competat recta regiminis ratio postulat cum de facili tres, aut quatuor PP. integrum Capitulum priuatum constituentes inter se conuenire possent, vt Iubilatos declarent, aut ad gradus postulent sibi addictos, quamuis necessarijs requisitis destitutos dignis, & dignioribus prætermissis, quod præsumi non debet de pleni Definitorio ad quod integrandum nouem PP. ex legis præscripto de necessitate concurrunt. Hac de causam solent Generales gradus conferre, nisi prius ex actis Capitularibus, vel Intermedijs ipsis constituit Candidatos statutos lecturæ annos absoluisse, quæ referens EE.VV. humilitèr me subijcio. Quam Deus &c. Ex Conuentu S. Augustini de Vrbe 5. Septembris 1708.

Fr. Adeodatus Nuzzi Generalis Ord. S. Augustini.

SACRA

CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

GABRIELLIO

PONENTE


Ordinis S. Augustini Portugallien. nullitatis Cōgregationis Intermediæ.

PRO

Maiore parte Vocalium.

CONTRA

Minorem partem.



Nouum Memoriale Facti cum motiuis reassumatur, & Summario ex gratia viden.

Typis De Comitibus 1708